



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Tractatus Iuridico-Politicus De Iure Superioritatis Ac Summa Potestate Rom. Pontificis**

**Wesseling, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1662**

21. De amissione Ponticatus per renunciationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64514)

Clero universo eligi debet. Tales sunt Cardinales: Sunt enim præcipui totius orbis Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Romanæ Ecclesiæ, vide *Aurifod. nostr. verb. Papa,*

## C A P. XXI.

*De amissione Pontificatus per renunciationem.*

**D**E Papatu acquirendo hætenus egimus, videndum nunc, an summa hæc dignitas semel quæsitâ perdi possit per renunciationem. Quamvis nonnulli existimaverint perdi non posse, tum quod sit immediatè à Deo, *cap. 1. 22. dist.* Quæ autem immediatè à solo Deo sunt, per solum Deum tolli debent, non enim virtus creata superior per virtutem creatam inferiorem tolli potest, *cap. cum inferior. de maiorit. & obed. l. nam Magistratus, ff. de recept. arbit.* Tum quod Papat<sup>9</sup> sit quoddam votum, quo Papa consentiendo Papatui se Deo obligavit, à quo absolvi non potest, nisi à solo Deo, *arg. cap. 1. de vot.* Tum quia Christi Sacerdotium est in æternum. Sed simplex Sacerdos

cerdos non potest desinere, quin sit Sacerdos, etiamsi deponatur, vel degradetur, *cap. degradatio, de pœnit.* Ergò & Sum. Pontifex & Sacerd. non potest desinere esse Summus Sacerdos: Quia juri publico, quod in Papatu auctoritate, & utilitate inest, renunciare non potest, *l. ius publicum, ff. de pact. not. c. si diligenti, de for. compet.* Verùm hæc apud probanda non sunt, quia adversantur juri communi *in c. 1. de renunciat. in 6.* Neque Papæ in his, quæ ad salutem pertinent, maior debet esse libertas, quàm aliorum Sacerdotum, imò major, in quantum ab ipso veluti à capite aliorum, & Ecclesiæ universalis, ut in membris dependet, *cap. si Papa, 40. dist.* Sed aliis Ecclesiæ Pontificibus, & Prælati ob suam suorumque subditorum salutem permittitur, quod renuncient in talibus, notat. *in cap. nisi, de renunciat.* Causæ verò hi sunt: *Criminis conscientia, corporis debilitas, scientiæ defectus, plebis malitia, grave scandalum, & irregularitas.* In primo Marcellinus sponte renunciavit, *cap. nunc autem, 21. dist.* In 2. & 3. Coelestinus *cap. 1. de renunciat. in 6.* In 4. & cæteris Clemeus, & aliis ob evitandum schismatis scandalum renunciarunt, *c. ecce, 7. q. 1.* Unde obser-

observandum est, quod per Papatum Petro nihil amplius ordinis, vel ejus perfectionis attributum est, quàm alii Apostoli habuerunt, qui omnes a Christo Sacerdotes creati fuerunt, & sic in ordine omnes Apostoli, ac in ordinis perfectione, quæ fit per adeptionem Episcopatus, Petro pares fuerunt; Et ideò omnes Sacerdotes, & Presbyteri in charectere, & ordine Sacerdotali in conficiendo SS. Eucharistiam sunt Papæ potentiâ pares, *cap. loquitur, 21. q. 1.* Unde Papatus non est nomen ordinis, sed dignitatis, vel officii, unde characterem in anima non imprimit, sed tantum officium, vel dignitatem superaddit, *c. puto, 2. q. 7.* Concluditur itaque, quod Papa ex causa Papatus renunciare valeat, prout *Aurifod. nostr.* Luculenter probatum est.

## CAP. XXII.

*An Papa possit errare, & propter heresim, aut schisma deponi.*

AD cognoscendam vim hujus Quæstionis revocandum est in memoriam, quod diximus in *Aurif. verb. Papa.* Pontificem 5. modis considerari posse, 1. Ut est persona

K 3

persona